



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

Archiepiscopo Messanensi.

urn:nbn:de:hbz:466:1-20006

ulteriùs sub dissimulatione transire, discretioni vestræ per apostolica scripta præci-
piendo mandamus quatenus ad Eboracensem Ecclesiam accedentes, Abbatibus, Prioribus, & aliis, personis honestis, cuiuscunque ordinis, evocatis, præsentate Archiepiscopo, si voluerit, & se, si potuerit, defendente, sub pœna excommunicationis appellatione remota, prout necesse fuerit, injungatis eisdem ut testimonium perhibeant veritati super quibus idem Archiepiscopus à jamdictis Decano & Capitulo monitionem accepit, testes recipientes eorum quos voluerint producere ad illa probanda in quibus dicunt ipsum Archiepiscopum excessisse, inquirentes per illos & famam quoque communem utrum Archiepiscopus ipse sit utilis & sufficiens ad regimen pontificalis honoris, audituri nihilominus & super his probationes appellatione postposita recepturi, si quæ forsan idem Archiepiscopus contra Capitulum vel aliquem de Capitulo duxerit proponenda, & omnia sub sigillis vestris inclusa nobis quantociùs transmittatis, eisdem Archiepiscopo, Decano, & Capitulo certum terminum assignantes in quo per se vel sufficientes responsales nostro conspectui se præsentent, & irritum post reduentes si quid idem Archiepiscopus per se vel per aliquem alium contra Capitulum vel eorum immutaverit aliquem, postposita appellatione ab eis rationabiliter ad apostolicam sedem emissâ. Quod si non omnes iis exequendis valueritis aut volueritis interesse, duo vestrum &c. Datum ut supra.

ARCHIEPISCOPO
Messanenfi.

Epist. 18.
Relaxat sententiam suspensionis qua Archiepiscopus Messanenfi tenebatur astrictus.

Quantum nos & Ecclesiam Romanam offenderis, nolumus nunc literis explicare, sed conscientiæ tuæ relinquimus discernendum. Nos autem licet offensam nostram & apostolicæ sedis injuriam in te potuissemus graviter vendicare, tuæ tamen honestati parentes, non solum de commissis non infliximus tibi pœnam, sed excommunicationis sententiam, quam ipso facto incurreras, per venerabilem fratrem nostrum Regin, Archiepiscopum secundum formam Ecclesiæ mandavimus relaxari, sic tamen ut suspensionis sententiam observares. Verum quia, sicut accepimus, præteritum jam damnas errorem, & ea efficaciter promoves quæ nobis æstimas complacere dilecti fratris nostri G. tituli sancti Vitalis Presbyteri Cardina-

lis precibus annuentes, suspensionis sententiam, qua teneris astrictus, de solita sedis apostolicæ mansuetudine relaxamus. Reservamus tamen adhuc nobis tanti correctionem excessus, ut juxta tuorum exigentiam meritorum misericordiam tecum vel judicium faciamus. Monemus igitur fraternitatem tuam & exhortamur attentè per apostolica scripta mandantes quatenus in devotione nostra & regia fidelitate persistas, & taliter Regis & regni hostibus te opponas ut gratiam nostram possis plenius promereri, & præcedentem offensam per satisfactionem aboleas subsequentem. Datum Laterani XIII. Kal. Julij.

ABBATI ET CONVENTUI
Cisterciensi.

Epist. 59.
Adversus desertores ordinis Cisterciensis.

Um paci ac quieti eorum qui Mariæ officium elegerunt paterna sollicitudine providemus, officij nostri debitam prosequimur actionem, qui quanto ferventiùs in Dei servitio perseverare nescuntur, tanto ampliùs, ne ab eo valeant revocari, debent in suo laudabili proposito confoveri. Hinc est quod cum fugitivi Cisterciensis ordinis super receptione sua aliquotiens literis impetratis contra debitum vos molestare præsumant, ob favorem religionis & ordinis vestri volumus & mandamus ut hujusmodi ordinis vestri desertores, si super receptione sua fortè literas impetraverint, in quibus non continetur ut recipiantur salva ordinis disciplina, vel si regulare fuerit & honestum, tales literæ, ne ipsarum occasione possitis à divinis laudibus revocari, nullam obtineant firmitatem, & ne earum obtentu ad fugitivorum receptionem aliquis vos compellat auctoritate apostolica prohibemus. Nulli ergo &c. prohibitionis &c. Datum ut supra XIV. Kal. Julij.

IOHANNI QVONDAM
Lugdunensi Archiepiscopo.

Negare nolumus quod petere voluisti, cum ex eo tam nobis quam tibi fructus æternæ retributionis accrescat. Petisti namque rogatus à fratribus ut ad honorem beati Bernardi primi Clarevalensis Abbatis, quem apostolica sedes sanctorum adscripserat catalogo venerandum, nos ipsi collectam & alias orationes ore proprio dictaremus, tum propter auctoritatem dictantis, tum propter stilum dictaminis, cum majori devotione dicendas. Et ecce sicut potuimus ad instantiam

Epist. 60.
Miserit collectas de sancto Bernardo.